

**1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, July 11, 2013, Prot. N. 47709/A/13 CA—Censure of suspension—Recourse to the Congregation for the Evangelization of Peoples—Computation of time for presenting recourse—Failure to make**

---

Prot. N. 47709/A/13 CA

*Suspensionis*

(Rev.dus N.—Congregatio pro Gentium Evangelizatione)

(Cf. Prot. N. 46061/II VAR)

DECRETUM

In causa de qua supra, Exc.mus Episcopus X die 16 ianuarii 2012 censuram suspensionis irrogavit Rev.do N., eo quod invitationi diei 26 decembris 2011, die 11 ianuarii 2012 praecepto munitae, in Dioecesim X revertendi ex Archidioecesi Y, ubi studiorum causa debebat, intra diem 15 ianuarii 2012 non paruit.

Remonstratio die 22 februarii 2012 frustra proposita, Rev.dus N. die 29 martii 2012 recursum hierarchicum coram Congregatione pro Gentium Evangelizatione instituit, quae solummodo litteris diei 2 ianuarii 2013 respondit mera exhortatione ad regressum in Dioecesim incardinationis ob gravem penuriam cleri.

Qua responsione recepta, Rev.dus N. die 28 februarii 2013 ad H.S.T. provocavit, eodem die nova causae propositione apud Congregationem pro Gentium Evangelizatione expostulata.

Expetitis et obtentis actis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod iuxta artt. 34 §1 et 74, §1 *Legis propriae* H.S.T. coram hac Signatura Apostolica recursus exhibendus est intra terminum peremptorium sexaginta dierum utilium;

Attente perpenso quod:

—Recursus hierarchicus die 15 maii 2012 ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione pervenit;

—Terminus sexaginta dierum ad recursum adversus silentium per tres menses protractum (cf. can. 57) interponendum die 16 augusti 2012 decurrere incepit;

—Rev.dus N. recursum ergo die 28 februarii 2013 apud H.S.T. extra terminum peremptorium absque dubio exhibuit;

Perspecto quod litterae Congregationis pro Gentium Evangelizatione diei 2 ianuarii 2013 de suspensione prorsus silent atque, proinde, recursum die 28 februarii 2013 ad H.S.T. propositum haud remittunt in terminos;

Cum proinde in casu recursus extra terminum peremptorium utilem propositus appareat;

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, §1, n. 4 *Legis propriae* H.S.T.,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie ac evidenter extra terminum peremptorium propositum.**

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto.<sup>1</sup>

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae e Sede huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 11 iulii 2013

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis  
*Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G.  
*Moderator Cancellariae*

1. Recursus ad Congressum die 28 octobris 2013 peremptus declaratus est decreto, quod dein impugnatum non est.